

*orbitatis solatium, a me inter epulas occisus est. Quo nunc se conferet misera? Omnibus ejus unus supersum, quem solum aequis oculis videre non poterit. Et ego servatorum meorum latro, revertar in patriam, ut ne dextram quidem nutrici, sine memoria calamitatis ejus offerre possim? Et cum finis lachrymis querelisque non fuerit; jussu amicorum corpus ablatum est; rex triduum jacuit inclusus, quem ut armigeri corporisque custodes ad moriendum obstinatum esse cognoverunt; universi in tabernaculum irrumpunt, diuque precibus ipsorum reluctatum aegre vicerunt, ut cibum caperet; quoque minus caedis puderet, jure interfectum Clitum Macedones decernunt, sepultura quoque prohibituri, ni rex humari jussisset.*

PRAECIPITI SALTU IN OXYDRACARUM OPPIDUM SE IMMITTENS, ALEXANDER GRAVITER VULNERATUR.

(LIB. VIII. c. 4.)

Jam lux adparebat; quum rex fiduciae ac spei plenus alacres milites arma capere, et exire in aciem jubet. Sed metune, an seditione oborta inter ipsos, subito profugerunt barbari. Certe avios montes et impeditos occupaverunt; quorum agmen rex frustra persequutus, impedimenta cepit. Perventum deinde est ad oppidum Oxydracarum, in quod plerique confugerant, haud majore fiducia moenium, quam armorum. Jam admovebat rex, quum vates monere eum coepit, ne committeret, aut certe differret obsidionem; vitae ejus periculum ostendit. Rex Demophoonta (is namque vates erat) intuens, si quis, inquit, arti tuae intentum et exta spectantem sic interpellat; non dubitem, quin incommodus ac molestus videri tibi possit. Et quum ille ita prorsus futurum respondisset: *Censesne, inquit, tantas res, non pecudum fibras ante oculos habenti, ullum esse majus impedimentum, quam vatem superstitione captum?*